

Positiones
philosophicae ex
fragrantissimo
philosophiae
viridario carptim
C...

Gyldenstolpe, Michael Olai
Wexionius,

11 Ae 4:o Wexionii



National Library
of Sweden

48.6

ΣΥΝ ΘΕΩ

POSITIONES PHILOSOPHICÆ

Ex fragrantissimo philosophiæ
viridario carptim collectæ.

QUAS

*Ex consensu Ampliſſimæ & Venerandæ Facultatis Phi-
loſophicæ in Regiâ Academiâ Aboëni.*

SUB PRÆSIDIO,

VIRI

NOBILISSIMI & CONSULTISSIMI

DN. MICHAELIS Gyllenſtålper /

WEXIONII, J. U. & Philoſ. Doct. pereximii, Il:^m
polit. & Hiſt. Prof. publ. celeberrimi, p. t. Rectoris Magni-
fici, Mœcenatis, Præcept. ac promotoris quovis obſequii
& honoris genere plurimum proſequendi.

*Liberalis Exercitiij gratia, publicæ eruditorum diſquiſitioni
modèſtè ſiſtit*

DANIEL B. ROSANDER Smolandus
S. R. M. tis Sùpendiarius.

In Auditorio Majori ad diem 22. Novemb. Anno 1654.

Horis ab 8. antemeridianis.

Johan: Nevizanus.

Moderatè diſputando non inutilitèr ingenia exercentur : quia veritas ſæpius exa-
minata magis ſplendescit in lucem.

A B O Æ,

Excusa à PETRO Hanson / Acad. Typogr. 1654.



Reverentissimo, Excellentissimo, & Nobilissimo Domino,

DN. JOHANNI M. Oloquist/

S. S. Theol: ac Phil: Doctori Celeberrimo; Diæceseos Streg-
nensis Episcopo Dignissimo, Consistorij Ecclesiastici Præfuli,
Regijq; ibidem Gymnasij Ephoro gravissimo, Patrono suo re-
verentèr suspiciendo ac summè devenerando.

Dn. M. HAQVINO PLATI-

N O, Pastori in *Wrsbhult* dignissimo, Præceptori quon-
dam fidelis. quovis honoris cultu æternùm prosequendo.

ut &

Consultissimo & Spectatissimo VIRO,

Dn. Johanni Michaëlis, Civitatis

Wexionensis Regiæ Consuli Prudentissimo, uti Patris etiamnum
amico conjunctissimo, ita quod; meo fautori & Promo-
tori longè certissimo.

N E C N O N

Eruditissimo, Venerabilibus, atq; Humanissimis VIRIS,

Dn. Olao Bergio, Medicinæ stu-

dioso ac Philosophiæ Candidato meritissimo, fautori & fratri
Svavissimo.

Dn. Axelio Gaake/ in Scholâ VVe-

xionensi, Collegæ valdè assiduo, Affini suo honorando.

Dn. Laurentio Magni Collandro,

Symistæ in Parochiâ *Notebeck* Solertissimo, affini Charissimo.

*Hoc quicquid est industria Specimen perpetuæq; gratitudinis do-
cumentum Humilitèr & officiosè offero.*

Daniel Rosander Smolandus^o.



ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ καὶ πνεύ-
ματος ἁγίου

I. THEOREMA GENERALE:

*Philosophia quæ est χάρισμα τῷ Θεῷ; haud im-
merito dispescitur in Θεοεπιστήην.
καὶ πρακτικὴν.*



Uamvis hoc Theorema apud præ-
stanti literarum scientiâ conspicuos fi-
dem de facili mereatur; interim tamen
per plurimi huic sententiæ obstrepunt.
Verùm quod ad primum hujus Theorematis mem-
brum spectat, ogganniunt 1. *Quia*, produnt, est inven-
tum ethnicum. 2. Πᾶς ἄνθρωπος φεύγῃς. 3. Πᾶν ὃ εἴη
ἐκ τοῦ Θεοῦ ἀμαρτία ἐστίν. 4. Ratio humana arguit Deum
mendacij in omni suo verbo εἶς. Verùm nos Philosophiam
ortum suum à terrarum cæliq; fatore traxisse statuimus,
quia sicuti omnis boni, undè fluit rerum farrago bo-
narum, ita & Philosophiæ autor dicendus est. Cla-
rescit. 1. *Quicquid non est peccatum, illud est donum Dei,*
at Philosophia E. Min: probatum reddimus ex Rom: 1.
v. 25, ubi πνεῦμα ἅγιον salutatur eam ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ.
2. *Omnis σοφία vera, est à Deo, At Philosophia. E.*
3. νόμος τῆς φύσεως, καὶ νόμος τῆς γραφῆς sibi non
sunt contraria; in Philosophia est νόμος τῆς φύσεως, in
Theologia est νόμος τῆς γραφῆς, E. utraque est à Deo,
Meissn: part: 1. Philosophia. Sob: quæst: general: Ver-
rùm ad objecta in proclivi est respondere, & quidè ad
1. Non omne inventum Ethnicum esse reiiciendum,
aliàs

aliàs tolleretur simul medicina & jurisprudentia. Dist: deindè inter *inventionem & propagationem Philosophia*, non inventa sed propagata est ab Ethnicis, Deus enim dedit Philosophiam quam nobis in natura tanquàm in imagine inculpsit. Ad 2. Concedimus illis totam argumentationem, omnes homines esse mendaces, Theologos, Jurisconsultos, sed non ut Theologos &c. Sed ut peccatores. Dist: itaq; 1, Inter *proclivitatem hominis naturalem quam habet ad peccatum omnis homo*, & *inter ipsum actum seu consuetudinè mentiendi*. 2. Dist: *inter hominè sibi relictum & ex se loquentè & inter hominem à S. sancto gubernatum*. 3. Dist: *inter reliquias imaginis divinae in Philosopho, & inter vitiositatè illam quæ ex corruptione natura accessit*. Adhibitis benè hisce distinctionibus proculdubio diluitur argumentum. Ad 3. Adhibitâ hâc distinctionis limâ facilimo negotio tollitur argumentum. Distingvendo nimirum *inter Philosophiam abstractè consideratam & concretè: illo modo peccatum non est, sed placet Deo; Hoc modo displicet Deo, non per se, sed per Accidens, ob subiectum cui inhæret*. Ad 4. Ratio humana arguit Deum mendacij se: in mysteriis, quæ nostro intellectu comprehendere non valemus, atque sic arguimus æternum fontem ac originem boni quasi mendacii. Ad alterum Theorematis membrum, ubi Philosophia dispelcitur in *Theoreticam & practicam* nos non absq; ratione accingimus, abscis omnibus sophisticis opinionibus, veram, genuinam ac veritati consentaneam sententiam fovemus. *Philosophia Theoretica seu contemplativa versatur circa res necessarias, & pro fine habet speculari, Practica verò versatur circa res contingentes & pro fine habet πρᾶττεν seu agere*. Discursu tali *δοκίμη & ὁμολογία* divisionem hanc esse legitimam: *Quæcumq; divisio de sumpt*

sumpta est ab objecto, subjecto & fine, illa est legitima, atqui hæc.
E. Res v. necessariae & contingentes *objectum* audiunt;
illas tractat *contemplativa*: Has *practica*. *Subjectum* quo-
que duplex, νόσος laborans morbo ignorantiae, quam
curat *Theoretica*; θέλημα vitio malitiae cui medetur
Practica. *Finis* agnoscitur duplex scil: cognoscere &
agere. Péter: Lib: 1, de Philosophia natur: cap: 3. pag: 7
Sit ergò ratum ac firmum Theorema; plura in ipso con-
flictu ventilabimus?

II. THEOREMA METAPHYSICUM.

*Verum, Legitimum & Adequatum Genus Me-
taphysices; Sapientia constituitur.*

Prima Philosophia, quæ Metaphysica nuncupatur,
dico prima Philosophia, nempe *ratione objecti sui*
quod omnium primum & ordine naturæ ac dignitatis
inter omnes scientias non abs re deprædicatur. Exer.
Metaph: Dn. Jacob: Mart: Lib: 1. Exerc: 2. Theo: 2.
Nam sicuti Metaph: est prima scientia: Et quasi caput
omnium aliarum, haud immeritò primum locum sibi
vendicat. *Nam illa non solum verbis exponit terminos uni-
versalissimos, prima principia tradit, Distinctionum modos &
fundamina, verum etiam variarum distinctionum classes in-
dice quasi monstrat digito, summa rerum genera ordine repræ-
sentat.* Ad Theor: Laconicè repetamus, & hic cautâ
maria carinâ sulcamus, quasi æquor currendum esset in-
ter Scyllam & Charybdin; cum philosophiæ oppugna-
tores, insulsiq; delusores nullâ unquam tempestate de-
fuerint, Unus asserit *Prudentiam*, Alter prodit *Artem*,

Tertius edit intelligentiam & scientiam Legitimum ac genuinum fore genus Metaph: Quod tamen in posterum dispalescit cui sententiæ fides sit adhibenda. Prudentia verò prout adæquatum genus Metaph: salutari minime meretur, planum id fit sive liquet exindè, cum Metaph: non intendat quomodò honestè stadium vitæ decurrere debeamus, sed ad contemplationem omnia diriguntur, Manebit ergò extra omnem aleam dubitationis quod illa haud saluetur legitimum genus Metaph: Neque Ars (ut per plurimi Ramistæ contendunt) practicus enim habitus non est Metaph: dicat ergò mihi aliquis quomodo Ars erit? cum omnis Ars sit practicus habitus & species practici habitus, quod tamen cum grano salis perponderandum venit. Nec Intelligentia; quamvis Philosophi hæc de re in divortium non multum abeant, cum hæc saltem principia agnoscat ac extruat: Metaph: verò principia prima & indè ortas conclusiones exquirat. De scientia verò & sapientia mirum in modum altercantur, paucis tamen nos expediamus. Scientiam haud posse legitimum genus Metaph: salutari, probatum dabimus hoc modo: Quis quid latitudinem Metaph: non exprimit, non est ejusdem generis; atqui scientia Latitudinem Metaph: non exprimit. E. Major stat munita suffragio omnium Philosophorum. Minor exindè statuminetur; Nam scientia est tantum notitia conclusionum, præcis principii, sapientia verò tam conclusionum quam ipsorum principiorum. Verum tamen oggeri à non nemine queat: Cui competit proprium, eidem & id cuius est proprium, atqui Metaph: proprium scientiæ, quod Triplex 1. enim datur ejus subjectum. 2. Proprietas subjecti. 3. Proprietatis per causas cognitio. E. Nos non inficias ire Metaph: scientiam esse & scientiæ

tia ingenium & naturam induere. *Est enim sapientia
 qua ex scientiâ & intelligentiâ constat.* R. 2. Vocabu-
 lum scientiæ bifariam sumi posse. 1. *Genericè & impro-*
priè significatque habitum per demonstrationem acqui-
 situm non solum in principiis, sed conclusionibus etiam
 occupatum, & sic est genus Metaph: & cum sapientiâ
 coincidit. 2. *Strictè* prout dicit habitum non circa prin-
 cipia sed conclusiones duntaxat occupatum, & sic ge-
 nus Metaphysices discernitur à scientiâ; relinquitur er-
 gò quod *sapientia* sit genus Metaph: & quidem verum,
 legitimum & adæquatum; nam commodè omnes sa-
 pientiæ conditiones conveniunt Metaph: uti sunt 1. *O-*
mnia cognoscere in universali. 2. *Scire difficillima.* 3. *Ha-*
bere notitiam certissimam. 4. *Habere aptitudinem maxi-*
mam ad docendum & omnia revocare ad principia prima. 5.
Propter se expeti. 6. *Præesse alijs* Arist: lib: 1. Metaph:
 c. 2. quæ certè omnia conveniunt Metaph: Quomodò
 verò hæ singulæ conveniant Metaph: prolixè alii de-
 monstrant. In hoc Theoremate nimis foret opero-
 sum illas explicare, in collatione discutere minus tædio-
 sum. Brevitèr ita colligimus: Cui *competunt propria*
adæquata, eidem & id cujus est proprium; atqui conditiones
E. sapientia enim est essentialè latius Metaph: & quidem
 tale quod proximè & immediatè prædicetur in quid de
 Metaph: & *sapientia* est de τὸ esse rerum quippe consi-
 derat Ens, quatenus Ens est: hoc est explicat essentialè
 quid sit esse aut essentialè habere, quot modis aliquid
 esse dicatur. Et tantum de hoc.

III. THEOREMA P H Y S I C U M.

A 3

Nume-

Numerus Elementorum jure quaternarius statuitur scil: Aër, Aqua, Terra, Ignis.

Cum utilitates non exiles nec exiguas cætera scientiæ nobis porrigant, haud vilipendenda est ipsa Physica, dum etiam sua commoda circumfert; Quando totius universitatis fabricam, quâ nullum Theatrum pulchrius, nullum augustius est, intuemur: Formam motumque cælestium corporum perennem admiramur, & diligentèr consideramus; varias etiam rerum ex elementis ortarum species ante oculos nobis ponimus imperium aliquod tempus in omne manens, summâ potentiâ, bonitate & sapientiâ præditum haud negatum ibimus. Quùm verò non jucunda modò sed utilis & frugifera sit hæc rerum naturalium perceptio, ideoq; magni est æstimanda. Ad Theorema pedem ferimus; Nullo unquam tempore defuere quamplurimi, qui numerum hunc quaternarium elementorum mirum in modum oppugnârunt, igitur dulce curæ pretium erit ad examen revocare. *Quidam enim infinita, ut Anaxagoras, absurdè statuerunt, quod si verò Elementa forent infinita tum nullum proprium locum haberent; ast verò singulis Elementorum proprius est locus. Quidam certum numerum attulerunt, verùm nec illi omnes sobriè Philosophantur, dum alii tantùm unicum ut Heraclitus ignem, Aximenes Aërem, Thales Milesius Aquam, hæc namque opinio eorum sibi constare nequit. Nam si homo ex unico esset Elemento, unica etiam esset morbi ratio: Sed consequens est falsum E. & Antecedens. Consequentia sic probatur, si enim homo Tò unum esset, unam etiam homines haberent Sanitatem, & etiam unicus tantum esset morbus & unica deniq; esset ratio &*

via,

via, quâ à morbo sanitas restitueretur; quid verò absurdus. *Accedit Ratio Aristotelica:* Nam si omnia ejusdem naturæ essent, tum unam eandemq; κίνησιν haberent. Dantur verò motus diversi, E. dabuntur etiam diversa σοιχεῖα. Alii tantum duo, Alii tria (excludentes & relegantes Ignem) nec fidem illis tribuendam, quia tum duo & tres essent motus saltem. Theor: nostrum aliis rationibus sequentibus stabiliemus, numerus σοιχεῶν ab antiquissimis Philosophis comprobatus est, & per rerum Magistram quotidianam experientiam satis superq; constat; Terram n. terimus, calcamus; Aquam bibimus, haurimus; Aërem attrahim⁹, spiramus, respiramus: Ignis nos calefacit & atrectantes adurit, sic ipsa experientia evincit quatuor esse Elementa. Quæ & Ægyptii multis ante Empedoclem ætatibus agnoverunt, ut attestatur Laërtius in proæmio de vitis Philosophorum. Roboratur deniq; argumentis probabilibus.

1. *Quot sunt συζυγίαι, primarum qualitatum, tot etiam sunt σοιχεῖα, quæ ratione harum ad omnem mixtionem concurrunt, at quatuor sunt συζυγίαι θερμῆ καὶ ὑγρῆ, θερμῆ, καὶ ξηρῆ, ψυχρῆ καὶ ὑγρῆ, ψυχρῆ καὶ ξηρῆ E. Hinc satis ἔ* necessarium efficitur quatuor esse simplicia corpora, nec plura nec pauciora. 2. *Quot sunt motus simplices, tot sunt corpora simplicia, At quatuor. E. Minor suffulcitur hoc modo: unus est ἄνω ἐ μέσῳ, alter καὶ ἄνω ad medium, uterq; horum vel κατὰ τὸ ἄνω ἢ κατὰ τὸ κάτω, talis κίνησις ἄνω κατὰ τὸ ἄνω competit igni, κίνησις ἄνω κατὰ τὸ κάτω competit terræ, κίνησις ἄνω κατὰ τὸ ἄνω κίνησις κατὰ τὸ ἄνω aqua competit. Quorum ille, scilicet Aër, respectu aqua ἄνω respectu ignis κατὰ τὸ ἄνω, hoc scilicet ὑδωρ respectu τῆς γῆς ἄνω, respectu Aëris κατὰ τὸ ἄνω fertur. Stabit ergò firmo talo. Uberior explicatio quæ propter pagellarum angustiam hic apponi nequit, in ipsum discursum rejicitur.*

IV. THEOREMA
MATHEMATICUM GENERALE.

*Arithmetica primum locum sibi vendicat inter
scientias Mathematicas; & usus istius
sine negotio in Mathefi cernitur.*

ABSQ; omni verborum ambitu, ad Theorema enodandum confugimus. *Arithmetica* inter scientias Mathematicas omnium prima habetur, & quidem *natura*, nam *Arithmetica* absq; reliquis disciplinis esse potest; *illa* verò sine eadem neququam; *natura* igitur eandem ijs priorem esse patet, & *ordine*; quod manifestum reddimus hoc syllogismo: *Quod ab Authenticis authoribus comprobatum est, illud omnino ordine prius, Atqui: E. & cognitione prior est, probatur exindè: Quicquid enim alio notius & cognitionem ignoti iuvat, illud cognitione prius est; atqui Arith: E. Major stat rata. Minor hujus probatur; Arithmetica enim homini quasi natura inest, undè & numerare inter propria rationalis creaturæ recensetur. Et usus istius sine negotio cernitur in ipsâ Mathefi; Nam Arithmetica Geodetica docet rationem computandi mensuras, quibus utuntur Geodetae, idq; in partibus decimis, undè etiam Logistica denaria haud inconvenienter appellatur (Rev: Kexl: in Arith: Geod:) usus istius cernitur in ipsâ Geometriâ. Arithmetica verò Astronomica seu Logistica sexagenaria est doctrina, quæ facilem modum & rationem calculi Astronomici tradit (Præcl: Kexl: in Arith: Astron:) Et hæc insignes usus præbet Astronomis. Alia est *Vulgaris* quæ mensurarum computationem instituit; & *Illæ* est vel *simplex* vel *comparativa*. *Simplex* v. *Arithmetica*, quæ simplicem numeri naturam perpendit; & illa extendit*

tendit se ad *Regulam Auream*, quæ dicitur *De Tri. Comparativa* est, quæ numerorum docet rationem in differentiis & rationibus, & continet *Regulam de Tri*, *Regulam de Tri inversam*, *Regulam quoq; societatum*, *Regulam Dupli.* Est autem Arithmetica altera alarum quibus Astronomus in coelum subvehitur.

V. THEOREMA ARITHMETICUM SPECIALE.

*Additio, probatur subtractione; & è contra
subductio additione.*

Cum hæc scientia numerandi humanæ societati sit adeo necessaria, ideò non absq; causâ hoc Theor: posuimus. Veritas hujus positionis cuilibet, nisi in Arithmetica planè hospes fuerit, in propatulo est. Sit *Exemplum Additionis* $\begin{array}{r} 237 \\ 359 \\ \hline \end{array}$ jam discipulo scire num rectè sim operat⁹; *Additio* $\frac{237}{596}$ itaq; probetur *subductione* hoc modo: subtrahè 359 ex summa 596, Tum reperiès relictam summam, nempè 237. Et hic modus est infallibilis, teste *Aegidio*. Sic *subductio probatur Additione*, procedè itaque sic: Adde numerum quem subduxisti ad residuum, quod inde producitur, æquabit primam summam, si benè fueris operatus, *Teste Gemma Frisio*. Sat de hoc.

VI. THEOREMA GEOMETRICUM.

*Montis alicujus Alitudo hoc modo sequenti,
per baculum inquirenda est.*

Geometria seu Symmetria parens prima va seipsam certè commendat, dum res aliqua emetienda sit, statim
B rationes

rationes nobis suppeditat; hæc altera est, quâ in forum
 cœlitum subvehitur Astronomus alâ; *Ad præsens Theor:*
paucis nos expediamus, procedendo sic 1. Fiat baculus cer-
 tæ cujusdam longitudinis, cujus extremitati dioptra ad
 angulos rectos applicetur. 2. Incipiendo à radice
 montis baculus perpendicularitèr terræ infigatur, &
 observetur alius montis locus per dioptram, & in eum
 iterum baculus collocetur, & procedatur ita, donec ad
 cacumen montis perveneris. 3. Quoties tum progres-
 sus fueris, tot etiam baculos in altitudine montis depre-
 hendes. Et alio quoque modo potest indagari alicujus
 montis altitudo nempe per *umbram, speculum, & Affe-*
rem Geodeticum.

VII. THEOREMA ASTRONOMICUM.

*Stellarum Fixarum numerus mortalibus
 est innumerabilis.*

Cum stellarum fixarum contemplatio, illustres etiam
 non solum in mensurâ poli sive Astronomiâ; verum
 etiam in re œconomicâ, rusticâ & nauticâ, atq; adeo in
 totâ humanâ vitâ usus & jucunditates nobis ostendat;
 propterea haud abs re de illis disquirimus. Imprimis a-
 nimadvertendum est probè, *Sydera illa fixa poli* dici om-
 nia, quæ partim in *Zodiaco*, & nuncupantur *Zodiacalia*
 in ipsâ itaq; *Zodiaci* latitudine conspiciuntur & nume-
 ro sunt Duodecim: *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo,*
Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius,
Pisces. *Aries* est princeps, sydus æquinoctiale consistens
 & stellis 13. definitum. *Taurus* 33. stellas continens.
 Hoc simulachrum cum non sit integri Tauri sed dimi-
 diati quæsitum fuit, *Taurus* nè an *Vacca* censeri deberet:
 Verum

Verùm consuetudo obtinuit, ut *Taurus* haberetur unde
Ovid: Lib: 4. Fast:

Vacca sit an Taurus? non est cognoscere promptum;

Pars prior apparet, posteriora latent;

Sed tamen est Taurus &c.

*Geminorum signum stellis 18. Includitur. Cancer est valdè
obscurum stellulis constans 9. Leo pulcherrimum sy-
dus est, stellis habens 27. Virgo 26. Libra 8. Marcus Ma-
nil: Lib: 3. c. 1. Inquit: Libra, Ariesq; parem reddunt no-
tèmq; diemq;. Scorpius 21. Sagittarius Limitatur stellis 31.
Capricornus sydus non admodùm illustre, stellis depi-
ctum est 28. Aquarius 42. piscium Zodiaci signum referens
formam duorum piscium, quibusdam stellis quasi lineo-
lâ vel vinculo quodam Laxo ab Arietis primo pede col-
ligatorum, quorum unus est *Australis*, Alter *Borealis* 34.
stellas habet. Et hæc sunt 12. Illa Zodiaci signa, A-
stronomis apprimè usitata. Et in universum 346. stellis
limitata. Partim extra obliquum signorum ordinem seu Zo-
diacum sunt vel *Boreales* vel *Australes*. *Boreales* qui polo
Arctico & Zodiaco interjacent & ab Authoribus 21. nu-
merantur. *Ursa Minor* micans 7. stellis. *Ursa Major* 27.
Draco 31. *Bootes* 22. *Corona Ariadne* 8. *Hercules* 28. *Lyra* 10.
Cygnus 17. *Cepheus* 11. *Cassiopeia* 13. stellis condecorata.
Heniochus seu *Auriga* 14. *Perseus* est imago 26. stellis in-
signita. *Deltoton* *Triangulum* 4. stellis. *Andromeda* 23.
stellis micans. *Pegasus* effigies est 20. stellis insignita.
Delphinus 10. *Telum* sive sagitta 8. stellis parvas habens
Aquila, cujus asterismus 9. stellis est inclusus. *Ophiucus*
seu *serpentarius*; ejus constellatio est 24. stellis adumbra-
ta non admodùm lucidis. *Serpens Ophiuchi* 18. *Equuleus*
4. tantùm stellis obscuras habens. *Australes* verò qui
in plagâ Austrinâ in Min: Zodiacum & polum *Antarcti-**

cum, eorum qui sub terris Arct. adversâ in parte mo-
 rantur situm habent, & à *Ptolomæo* recensentur 15.
Orion 38. stellis omni magnitudine nobilitata. *Lepus* 12.
Procyon canis minor 2. tantum stellas continens & est
 valdè brevis. *Sirius*, canis major 18. *Argo* 45. *Hydra* 25.
Crater 7. *Corvus* 7. *Centaurus* 37. *Lupus* 19. *Ara*, 7. *Corona*
Australis 13. *Piscis Notius seu Austrinus* 12. *Cetus* 22. *Erida-*
nus Fluvius 34. stellas habens. Et hæ sunt stellæ quæ
 partim in *Zodiaco* partim extra *Zodiacum* conspiciuntur,
 tardissimèque in octavo ætheris tractu juxta hypotheses
 Astronomicas, ab occasu in ortum moventur, eadem-
 q; inter se & à terra examussim retinent distantiam,
 eandem figuram & magnitudinem, quam etiam ob cau-
 sam non immeritò fixæ sunt cognominatæ. Quò mi-
 nus numerari ab hominibus possint astra, dicta quæ de
 eorundem multitudine innumerabili passim in sacris
 reperiuntur, præpediunt. Cum enim Deus dicit A-
 brahamo. Gen: 15. suspice coelum & numera stellas si po-
 tes, *subindicat numerum stellarum fore incomprehensibilem.*
 Liquidò constat corpora ista clara poli esse innumera-
 bilia, non quidem *Absolutè* ἄπειρον ἀστέρων, sed *nobis*; qui-
 bus possibilis est arenæ ad littora maris, quàm in pla-
 gâ æthereâ numerum stellarum inire. Scitè itaq; *Aug-*
ust: Lib: 16. de civ. 6. c. 23. stellæ dinumerari nequeunt,
 quin nec omnes eas videri posse credendum. Nam
 quantò quis accutiùs intuetur, tantò plures deprehen-
 duntur, undè etiam acerrimè cernentibus aliquas oc-
 cultas esse meritò existimatur. Confer. Deut: 10. Jer:
 33. v. 22. Psal: 147. v. 4. Arist: Lib: 4. de mundo.

VIII. THEOREMA OPTICUM.

Visi-

*Visibile est vel per se vel per
Accidens,*

O*ptica quæ est scientia radiaturæ visivæ, satis seipsâ com-
mendat. Visibile per se est illud quod à μέσος ra-
diat, solo visu percipitur & causam radiationis in se ha-
bet, ut Lux & color. Visibile per Accidens, dicitur quod
mediante Luce & colore radiat, hoc pluribus sensibus
quàm visu percipi potest. Exempla rem illustrant, sic fi-
gura in luce, visu; in tenebris, vel etiam oculis clausis
tactu percipitur.*

IX. THEOREMA MUSICUM.

*Musices studium est apprimè Deo gratum, ea propter
ab hominibus excolendum; Musicam a. par-
timur in Choralem & figurativam.*

Cum æternus DEUS, post lapsum lethiferum Adami
& naturæ corruptionem & depravationem, videret
studia Musices oblivioni tradit, consuluit generi hu-
mano solitâ benignitate, & Heroas virosque eximios
excitavit, qui hanc artem excolerent. Et præcipui cul-
tores Musicæ celebrantur *Tubal* ante diluvium, *Moyse*
apud Hebræos, *Pythagoras* apud Græcos, *Boëtius* apud
Latinos. Et sine dubio ipsemet Deus per Spiritum
sanctum *Tubalem artem Musicam* edocuit. Novit enim
Deus quam fragilis, laboribus curisq; plena & referta
sit hominum vita: Et si prorsus omnibus recreationi-
bus esset destituta, diù superstes homo esse haud vale-
ret. Cum itaq; *Deus author hujus principalis audit*, ideò
*apprimè ipsi gratum erit ipsius studium, & ab hominibus excos-
tendum; Dum præcipuè ad celebrationem Dei sumus*

conditi, & per filium Dei salvatorem nostrum redempti, videlicet ut primò vocibus & harmoniis nostris ipsum Deum celebrare possimus. Hanc celebrationem Deum à nobis postulare, testantur per plurima sacrarum literarum dicta præcipuè Coll: 3. *Docentes & commonentes nos invicem cantionibus &c.* sic Eph: 5. *Impleamini &c:* idem multi psalmi confirmant. *Cantate Domino canticum novum. Cantate Domino omnis terra &c:* Sola autem hæc ars manebit perpetua, omnibus reliquis aliquandò tacentibus & cessantibus, siquidè gustus est illius gaudii, quod erit in illà æternitate, quod omnes pii expectant propter Christum donandum, ubi omnes optimè Musicam callentes in æternum æternum Deum laudabimus & celebrabimus. Partimur deniq; *Musicam in Choralem & Figuralem.* *Choralis* est in quâ notulæ æquales sunt & eundem valorem habent. *Figuralis* verò est in quâ notulæ inæquales sunt & diversum valorem habent,

X. THEOREMA

ETHICUM.

Amicitia propriè virtus non est; in Ethicis verò consequenter, directè non tractatur.

Cum igitur (Licet rudi minervâ) aliquot Theorematum per Dei gratiam ex *Philosophiâ Theoreticâ*, tenui filio traximus; consequens est ut aliquot etiam ex *Philosophiâ practicâ*, undè tantum scire sed & operari discamus ventilem. Nam duo sunt ad quæ homo natus est, scilicet: ad *intelligendum & agendum*, uti parens ille Philosophorū scitè pronunciat. Et hæc omninò insignem utilitatem pariunt; per *Philosophiam Practicam* acquiritur vel *Bonum in communi*, & sic est *Ethica*, quæ generalia præcepta tradit,

dit, quomodo quisq; virtutem exercere debeat. Vel
ἐπιπέως idq; bifariam vel enim dirigit nos ad bonum
quatenus id pertinet ad salutem propriæ domus, & tum
est *Oeconomica*. Velenim dirigit nos ad salutem Reipubl:
totius, & sic est *Politica*. *Præsens Theorematis membrum*
primum, ut eò notius evadat, sequentia sunt prænotanda
1: Omnis virtus propriè dicta in nostrâ voluntate & præelectione sita est.
Eth. Nicom: 3, c. 7, 1. Magn. Mor: c. 12. Φιλία autem in nostrâ pote-
state non est, per mutuum namq; amorem definitur, quem propriæ volun-
tati subigere quis præsumeret? Amicitia igitur non est virtus. 2. Omnis vir-
tus est bonum internum; ἐνδύλον, amicitia verò, non est, Teste Philoso-
phorum Chorago. Rectius igitur *usus & Fructus virtutis*
quàm virtus à piccol: grad: 7. indigitatur; undè sequitur
Φιλίαν non esse veram virtutem, verùm tamen ratione Ex-
tremorum amicitia est virtuti similima. Ad alterum
Theorematis membrum, ubi statuimus amicitiam conse-
quentèr & per bonam occasionem in Ethicis tractari, nos etiã
non absq; fundamentis accingimus, præeunte Nobiliss:
Syllenstãlpsens coll: Eth: Tali discursu: Quod ad felicitate-
tem facit; in bono solummodò viro invenire est, adeoq; in actio-
nibus humanis ducem rectam rationem sequi potest; illud in
Ethicis planè non negligendum, atqui Amicitia E. Major est
manifesta, siquidè felicitas seu beatitudo est totius
Ethicæ finis & scopus generalis, quo omnia in illâ disci-
plinâ referenda. Nec vera amicitia nisi inter bonos in-
tercedit. In actionibus autem eam elucere, rectâque rati-
one informari debere, cuivis in propatulo est, ideoque
etiam consequentèr ab Ethico perponderanda venit.
Nam in Ethicis non solummodò de virtutibus, verùm e-
tiam de virtutum causis, objecto, subjecto & fructu ac conse-
quentibus agendum est. Et de illis quæ aut virtutes sunt
aut virtuti maximè affinia, qualis est amicitia: Φιλία n.
ut ait piccol: gr, 7, c, 1. Ex Arist: 8. Nichom: aut virtus
aut

aut cum virtute copulata. Atq; ita ratum fit illam consequenter in Ethicis ventilari.

XI. THEOREMA POLITICUM.

Beneficio legum manet vita hominum beata ac quietas; & haud immeritò audiunt emendatrices vitiorum, & commendatrices virtutum.

ENucleato, pro modulo ingenii, Theoremate Ethico, Methodi Lex jubet ut politicum succedat. Sine leges enim, nec Demus una, nec civitas, nec gens, nec hominum univ-
ersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Cic: Lib. 3. de LL. Nam quod Deus est in mundo, hoc lex est in civitate, undè Anima & Spiritus τῆς πό-
λεως nuncupatur, Populi enim illi verè agrestes censendi sunt, qui sine legibus vixerunt; Nam sine his homines à bestiis nihil omninò differunt. Quales fuere in Africa Caseres, Mauri & Abyssini: Quales etiam Aborigenes genus hominum agreste dicente Salustio. Scitè verèque Icti dicunt rationem esse animam legis, L. 17. ff. de legibus. Nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis vel canonis dominatur verbis, Eberh: à Middelh: in loco à rat: leg: n. 2. Lex n. ex ratione semper æstimanda est, ut ubi ratio non est, ibi nec Lex sit; cum iustitia sit animi habitus, & quidem bonus, qualis esse non potest, nisi quatenus ratione perficitur. Paucas verò easq; bonas expedit esse in Republ: leges. Et sanè est corruptissima res publ: in quâ plurimæ leges. Tacit: 4. annal: ubi plurimæ leges, ibi & lites & mores improbi, referente Platone. Prætereà circa rationem legis animadvertendum est, nè lex mutilatè sed integrè consideretur, respicienda esse

ante-

antecedentia & consequentia, ut sic totâ lege perspectâ,
 ex ipso contextu, vera & genuina sententia tandêm
 eruatur. Nam incivile & indecorum est unâ aliquâ
 particulâ legis propositâ, judicare & respondere, nisi
 tota lex fuerit perspecta, L. 24. ff: de legibus, ubi & hoc
 perponderandum est, nè ea quæ in favorem alicujus
 sunt constituta, adversus eum proferantur. L. 6. c. de
 Legibus. L. 25. ff. de leg: hisce circumstantiis ita con-
 sideratis omninò relinquitur, *Beneficio Legum manere vi-
 tam hominum beatam & quietam; Legis nomine hîc non
 indigitatur Lex natura* prout harmoniam universi des-
 notat; sed innuitur *Lex* quæ non solum *imperantibus* ra-
 tionem administrandi, sed etiam *obedientibus* regulam
 vivendi præscribit; Nobiliss: præses in Disp: Polit: 8. de
 legibus prior: edit: *Salutantur* deniq; *emendatrices vitiorû
 & comendatrices virtutû. Illorum* fontes seu vitia evellendo,
 delendo & excindendo: *Harum* v, igniculos alendo, ex-
 citando & roborando. Hæ 1. *proximi nostri vita* incolu-
 mitatem & libertatem curant, cædes, vulnerationem &
 iniquam servitutem prohibent ac vetant. 2. *Famam hone-
 stam & dignitatem* ejus illibatam conservant, infamiam
 & contemptû præoccupant. 3. *Bona & facultates* ejus quæ
 ipsi usui esse possunt, defendunt, omnem corruptionem,
 spoliationem & dejectionem impediunt; *Uno verbo, Hæ*
 ut proximo nostro ea faciamus & præstemus, quæ nobis
 fieri vellemus; jubent. *Hæ* æquâ lance, præmia bonis;
 & poenas malis decernunt, quæ desiderantur sub incu-
 dem Disput: revocabimus.

XII. THEOREMA OECONOMICUM.

*Uxor suo marito obedientiam ac honorem præsta-
 re tenetur; Non aliter ac suo Domino.*

Sapientissimo Dei consilio effectum est, ut cum variæ
sint hominum societates, nulla tamen vel dignitate
præstantior vel utilitate efficacior vel jucunditate ube-
rior existat; quam eorum qui arctissima corporum ani-
morumq; conjunctione ad individuam vitæ consuetu-
dinem colendam coaluerunt. Schonb: pol: Lib: 1. c. 6.
Verùm ad primum Memb: Vxor suo marito obædientiam

præstare tenetur: Hoc n. pacto familiaris res augebitur

Modestè viro obviam eat, dicendo Domine adsum,

Impera quidvis, nec tibi ero in mora, neq; latebrosè absq; tuo

Conspectu occultabo: Plant: in Trinum.

Uxor à viro se regi patiat, ipsiq; obædiat; ita tamèn
nè pro ancillâ habeatur; cum uterq; conjugum sit alter
ego. Quòd autem *honorem marito debeat*, divini oracula
verbi comprobant & quidem ex præscripto Apostoli
Eph: 5. v. 22. Maritus enim caput est: atque ei, quod præ-
stantius est, honor semper deferri solet. Utraq; perso-
na aliam honore quo par est afficiat, suo enim honore
se spoliari, unusquisq; gravitèr ferre consuevit, inquit
Aristoteles. Ideò ita cohabitandum ut appareat *σωφρο-
σύνη* & modestia, in dictis *αἰδώς* in factis jus & fas: Fides
& Frugalitas: *proba v. uxoris est* Maritum non modò a-
mare sed & venerari, ejus ingenio (quantum honestas
permittit) se accommodare, eiq; tanquam capiti sine
obmurmuratione obedire; non tantum in secundâ
Fortunâ hoc autem officium præstò sit, sed & adversâ.
In quantum illi delinquant, qui secundante fortunâ
unâ degunt, adversante discedunt, penes alios sit judi-
cium. *Contrarium enim videmus in brutis*, quæ simul de-
gunt non tantum in secundis, sed & adversis. Leo n.
non deserit lænam, nec læna leonem, sed alter pro
altero fortitèr occumbere nihil dubitat. Iam à minore ad
Majus argumentand um est &c. Sic uxor Senecæ Maritum
in

in ipsâ morte non deseruit: & venas sibi unâ cum illo curavit incidi Tacit: 15, an: 9. *Non aliter ac suo Domino;* sic Abrahamum Patriarcham non alio quàm Domini nomine compellavit *Sara*: atq; sic illa non alio modo præstitit honorem ac obædientiam marito ac suo Domino. Et tantum de hoc.

XIII. THEOREMA HISTORICUM.

Lingua Sueo-Gothica cum sit Antiquissima, non immeritò inter originales numeratur; Hebræa autem lingua in quibusdam cognata reperitur.

Historia, quæ est vera gestarum narratio, ad ferendum de similibus iudicium & actiones informandas, in omni studio est ultissima: quibusdam autem planè necessaria. Verùm ad rem. Linguam Sveo-Gothicam dicimus maximè antiquam esse, cum inter primævas linguas quæ per divisionem surgebant in Babel, ferè præcipuam. Juxta illud Axioma: *Quò quid sit simplicius & verius, eò antiquius.* Nam id idioma meretur antiquissimum dici, quod propius accedit ad linguam primævam & idioma sanctissimum, quo S. patres ante & post diluvium usos esse intelligimus, & quo sermone loquebatur Deus ipse ad S. Patriarchas & Prophetas. Meritò itaq; *originalis nuncupatur*, constat exindè quia proprias literas, Runicas videlicet, habet; ex nulla alia nisi fortè in paucis dictionibus deduci potest. Cum Hebræa verò lingua maximam habet cognitionem; verba Augustini sic sonant: *videmus aliquantas linguas nonnulla verba Heb: similia habere.* Quod etiam de lingua Goth: sic Anagrim: Jonas Hist: Ill: c. 5. explicat. *Sunt Hebræa Lingvæ vestigia, ut voces integra (quas quidem non coactè ex Hebræis fontibus eruunt)*

in lingua Gothica veteri relicta. Licet plurima pars vocum antiquarum cum scriptura Runica perierit, & post contractam cum Svecis societatem Germanorum, cum iisq; & aliis populis commercia fuerint; tamen ex reliquis quibusdam vocibus Goth: hodiè usitatis, intelligitur Gothicam Linguam fuisse cognatam Lingvæ Heb: adè ut multæ voces, æqualiter sonantes habeant in utraq; lingua eandem significationem. Hoc paucis ostendere lubet; sic Heb: nominant peregrinum hominem *Ger*, sicut Abraham peregrinus in terra Chanaan vocavit se ipsum. Gen: 23. v. 4. Hæc vox ita placuit majoribus nostris in scandia residentibus, ut voculam adderent propriis nominibus vocantes viros, *Gert/ Gerle/ German/ Gerbiörn/ Dager/ Birger/ Olger/ Siger/* alias sigridem: & Græcum hominem in Europâ primò peregrinantem vocabant *Sirlger/* peregrinationem dicunt Heb: *Magur*, sic nominant Gothi macilentum ex peregrinatione aut inediâ, *mager*. *Kans*, significat castra ponere quod magnificentiam imperantis notat: Gothis est magnificentia *Kyni*, inde Rex *Runungþ/* ait *Run: Sthr.* pag: 5. Hi ipsi vocant potentiam vel posse *Kan* inde *Kunna/ & Regem Runungþ/* quasi potentissimum dicunt illi *Tapsar*: Gothi nominant quemvis excellentem *Zapper* &c: aliæq; sunt voces quæ æquali ferè pronuntiatione & significatione gaudent. Et tantum de hoc.

XIV. THEOREMA LOGICUM.

*Judicium haud inconvenienter dividitur in
Axiomaticum & Dianoëticum.*

DE Logicæ naturâ ejusq; utilitate insigni, sapienti viro satis constat. Nam illa lapidis adinstar lydij est omnium aliarum disciplinarum &c. *Universa verò judicij ratio*

ratio comprehenditur præceptis Axiomatis & Dianoia. Multa præcepta traduntur de Axiomate: quæ singula ideò descripta sunt, ut rerum veritas judicetur aut falsitas; atq; hinc est quod ea pars iudicii, quæ complectitur præcepta de Axiomate ad dijudicandam veritatem: nuncupetur *iudicium Axiomaticum*. Dianoia natura in syllogismo & Methodo tota vertitur: & proindè pars illa iudicij, quæ præcepta suppeditat vel syllogismi ad iudicium consequentiæ, vel Methodi ad iudicium ordinis, nomine venit iudicij *Dianoëtici*. *Iudicium Axiomaticum & Dianoëticum* ut præceptis sic subjectis rebus differunt ac discernuntur. *Hæc distributio* cum ipsâ naturâ concordat; quia illarum quædam tales sunt, ut si axiomatice disponantur, tam sunt claræ & perspicuæ, ut earum veritatem nemo in dubium revocare possit. Sic illud *Axioma*: Homo est animal rationale, ita clarum est per se ac manifestum, ut nullum necessitatis telum urgeat illius *α λ γ δ ε α ν* per aliud quippiam illustrare. Quædam v. nexu axiomatice copulata, nihilominus dubiæ ac obscuræ hærent, ut non oculis subiiciatur an illa in rei veritate ita se habeant, priusquam ad syllogismi tribunal per ventum fuerit. Sic illud *Axioma*: Cæsar est misericors; est dubiæ veritatis, incertum n. ac obscurum manet, an fuerit Cæsar misericors, nec ne? ac proindè illustratio huius Axiomatis est aliis è rebus deducenda. Hæc deniq; consentit cum legibus bonæ distributionis, partes inter se dissentiunt, & amicissimè cum suo toto consentiunt; undè sic colligimus: *Quæcunq; distributio consentit cum legibus bonæ distributionis, illa censetur legitima*, atqui hæc E. sat de hoc.

XV. THEOREMA R H E T O R I C U M.

*Tropus non statim est estimandus in dogmatibus
Christiana fidei, ubi ratio nostra Tropum
fingit.*

TRopus non dispositionem rerum ipsam aut res spe-
tat sed verba. Kechem: Lib. 1. Syst: Log: 2. c. 2.
Tropus (inquit in Syst: Rhet: Lib: Sect: 2, c. 2.) est in illis
vocibus, quæ rem significant, id est in nominibus & ver-
bis primariis, non autem secundariis, quæ tantum copu-
lam constituunt. Neq; enim est in connexionione rerum si-
ve propositionis, sed in ipsis partibus propositionis. Et
Paulò post ait: Tropum nec esse in copulâ, seu ipsâ con-
nexionione, cujus signum est copula; sed residere vel in
subiecto vel prædicato propositionis. Verùm Theore-
ma nostrum exemplo unico illustrabimus, licet non de-
sint per plurima. *Cum in dogmatibus Christiana fidei dicitur
Deus gignere & generare filium; vulgus Tropum fingit in
voce generationis, quæ propriè tribuatur rebus corporeis
animatis, Impropiè & Tropicè Deo. Humana enim sapi-
entia pervidere non valuit eminentiorem illam & con-
sumatiorem generationem. Natura namq; generalissi-
ma generationis est, quòd aliquid ex aliquo producat,ur,
quod propriè, primariò & principalitèr Deo & rebus
spiritualibus, ab omni terrenâ conditione puris, conve-
nit. Sic non Tropicè sed propriè ac perfectè Deum
in sacris dicitur, Lux, Charitas, Spiritus &c: & reputat
secum Goclenius ipse probl: Rhet: 76. doctissimi cujus-
dam interpretis, qui, cum dicitur Joh: 1. ἦν λόγος τὸ
φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα τὸ ἀνθρώπινον ἐρχόμενον
εἰς τὸν κόσμον, verè & propriè nomen lucis accipi asse-
rit. Sic vox generationis, quandò mysterium Filii à Deo
geniti docet, generationem incomparabilitèr eminenti-
orem*

tiorem, quàm in humanâ sapientiâ, eâ ipsâ nativâ suâ dictione docet. Ita passim ubi $\pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\ \tau\acute{o}\ \acute{\alpha}\gamma\iota\omicron\nu$ pro- priissimè loquitur, mens respicientis ad sua consueta rationalia dicit esse *Tropum*: ac si $\xi\eta\mu\alpha\tau\ \pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\ \textcircled{\alpha}\ \tau\acute{\epsilon}\ \acute{\alpha}\gamma\iota\omicron\varsigma$ flecti deberent ad nostros ineptissimos conceptus, cum potiùs nos in sacris ad sanum illum loquendi mo- dum, quàm proximè accedere jubeat Apostolus.

XVI. THEOREMA

GRAMMATICUM.

Literæ latinorum vulgaritè recensentur 23,

quas omnes nobis tantùm è duabus dedu- cere placet, nempe I & C.

Propriè & vulgaritè recensentur literæ Latinorum 23, quod tamen haud improbamus, *Formalitè* scilicet *Materialitè* verò non, sed sunt 2. Quod ostensum da- bimus; Ordinem à prima initiali litera, nimirum a, jam a componitur ex c & i. b ex i & c inverso. c est litera radicalis, si è triuijs verba petamus. d ex c & i, e ex c pro venit, f ex c & inverso c, g ex c & i, h ex duplici i, i est litera radicalis, k ex i & c, l ex i, m ex triplici i oritur, n ex duplici i, o & c & inverso c, p ex i & inverso c, velut q ex c & j inferius produ- ctis & c: Manebit ergò Theorema; omnes sc: literas ro- manas haud inconvenientè ex i & c derivari posse. Verùm quot capita, Tot sententiæ; suum cuiq; pulchrū.

Sicilimenta

Ex Mathematicis Theorematis, quæ prætereun- da haud videntur, quia scitu necessaria.

I. Geome-

I. *Geometria*, quæ complectitur 1. *Trigonometriam*, id est, doctrinam de dimensionibus & solutionibus Triangulorum, 2. *Geometriam practicam* quam etiam *Geodesiam* appellant, mensurantem qualvis finitas magnitudines, ut agrorum, pratorum, aliarumque rerum &c: & hujus tres sunt partes 1. *Longimetria*, quæ ulnas, passus, decempedas &c: metitur. 2. *Epipedometria*, seu *planimetria* quæ docet explorare *Aream* quadrati, oblongi & *aream* alicujus agri, item *Aream Rhombi* seu *Rhomboidis* inquirere. 3. *Stereometria*. Cùm mensuræ liquidorum variæ sunt, & circa hæc potissimum *Stereometria* versetur, easdem quâlibet in regione expiscari necesse est, priusquam alicujus dolij & vasis capacitatem inquireamus.

II. *Geographia*, quæ de globo terrestri universalitè agit, & complectitur 1. *Chorographiam* quæ regionem & loca quædam peculiariter describit. 2. *Topographiam* quæ peculiarem locum describit, nimirum urbem, sylvam &c. præbet historicis insignem usum in conscribendis historiis.

III. Hæ sequentes vicinæ ipsi *Astronomiæ* sunt, nempe 1. *Astrologia*, quæ ex consensu, dissensuq; corporum cœlestium cum sublunaribus de futuris per naturales causas divinando agit. 2. *Computus*, qui est scientia distinguendi tempus certâ ratione ex solis & lunæ motibus in usum Ecclesiæ. Et hic differt ab *Astronomia* & *Astrologia* hoc modo: *computista* considerat tempora; *Astronomus* observat motum Astrorum; sed *Astrologus* prædicat varios eventus ex motu Astrorum dependentes. 3. *Gnomonica*, quæ in harum dimensione gnomonium positu exercetur. 4. *Meteoroscopia*, quæ elevationum differentias & aliàs Themata *Astrologica* docet.

5. *Dioptrica*, quæ planetarum & aliarum stellarum distantias scrutatur.

4. *Optica*, cujus partes constituuntur duæ: 1. *Catoptrica*, quæ exponit causas deceptionum & apparentium ex radiorum reflexione & refractione ortorum. 2. *Sciagraphia*, quæ docet rerum imagines delineare, ita ut confici & dijudicari possint, cum aliàs innumeræ, & propter nimiam distantiam sint informes.

5. *Mechanica* hujus partes sunt 1. *Architectonica*, benè ædificare docens. 2. *Organopoietica* instrumenta conficiens. 3. *Thaumapoietica* miranda opera artificialia parans. 4. *Sphæropoietica* globos fabricans. 5. *Fortificatoria* ad munitiones extruendas informans. 6. *Agalmatopoietica*, quæ tractat de statuarum fabricatione. 7. *Navopoietica*, quæ est ars fabricandarum navium; uti & quorumcunq; ædificiorum structuram artificiosè ac proportionalitèr erigendi; & hæc binæ posteriores jam jam enumeratæ nonnulli inter cæteras annuenerari solent. Hæc scientia nempe *Mechanica* cum suis partibus, quatenus ex principijs Mathematicis subjectum suum demonstrant, rectè scientiæ Mathematicæ salutantur, licet illitatorum manibus efficiantur.

PARERGON JURIDICUM.

PARENTES possunt exhæredare liberos suos ¹⁴, de causis ingratiitudinis, secundum jus Rom: quod ex Novellis, c. 3, patet 1. Si iniiciant manus violentas in ipsos parentes: quod tamen debet intelligi, secundum Bar. in L. ut vim ff. de justitia & jur: nisi vim vi repellant, quia tunc non justa causa est exhæredationis. 2. Si inferant parentibus gravem injuriam. 3. Si accusant eos de crimine, nisi fuerit commissum in principem aut in

Rempublicam, Si verò eos occultè denuntiaverint, non est justa causa exhæredationis, quia ad hoc tenentur. ij. q. i. c. Si peccaverit. 4. Si insidiati sunt vitæ parentum per venenum aut simili modo. 5. Si ad delationem eorum parentes passi sunt grave damnum in bonis suis. 6. Si parentes furiosos non custodierint. 7. Si maleficis se sociarint. 8. Si uxorem patris, hoc est, novercam vel concubinam patris filius cognoscat, propter quod Ruben à patre suo Jacob privatus fuit jure primogenituræ. Nam pater ei dixit, effusus es sicut aqua, & non crescas, eò quod ascendisti cubile patris tui & maculasti stratum ejus, Gen: 49. Nam Ruben dormivit cum Bala uxore patris sui; ibidè. 35. 9. Quia non fidejusserunt pro pare atib; sed non extenditur ad filias quæ non possunt fidejubere ff. ad Scñ Velleia: L. 1. 10. Qui non liberaverunt parentes à captivitate vel ab hostibus, propter quam causam, licet pater filios non exhæredet, sunt tamen exhæredati ex ipsâ lege, ut in d. ff. causas. 11. Si prohibeant parentes testimonium facere. 12. Si misceant se Liberi arenæ; id est, arenarijs se sociaverint Et hoc debet intelligi, nisi parentes essent ejusdem professionis. 13. Si liberi sint hæretici. 14. Si filia luxuriatur, & hoc debet intelligi, nisi hoc fecerit post 25 annum, & stetit per patrem, quò minùs fuerit tradita nuptui. Quia si fuerit luxuriata post 25. annum, & non fuerit per patrem tradita nuptui, cum hoc facere potuerit & tenebatur, non est justa causa exhæredationis. Sed ita non est in filio, quia luxuria filii non sic patris domum dehonestat, sicut filia, quamvis non sit minùs peccatum, sed fortè majus. Hæ verò causæ exhæredationis includuntur sequentibus versibus, licet minùs comptis, à Nicasio de Voerda desumptis:

Bis septem caulis filius potest exheredari
 Parentes feriat, vel verbum si malè dicat,
 Crimine cuset eos, veneno si potat illos,
 Detulit in eos, furiosos negligit ipsos,
 Malis se sociat patris lectumvè defædat,
 Non fideiussit pro patre, nec ab hoste redemit.
 Testari prohibet patrem, si miscet arenæ,
 Non Orthodoxus, vel filia luxurietur.

CORONIDIS LOCO

Græci & Hebraei quomodo numerant, paucis
 mentem nostram aperiemus.

Græci hoc modo:

α.	1	κδ.	24.	ν.	50.	πβ.	82.	ς,	6000.
β.	2	κε.	25.	να.	51.	πγ.	83.	ζ,	7000.
γ.	3	κς.	26.	νβ.	52.		&c.		
δ.	4	κζ.	27.	νγ.	53.	ς.	90.		Quod si aliquis ad-
ε.	5	κη.	28.	νδ.	54.	σα.	91.		huc ulterius pro-
ς.	6	κθ.	29.	&c.		σβ.	92.		gredi discupit, su-
ζ.	7	λ.	30.	ξ.	60.	σγ.	93.		mat hæcce literas,
η.	8	λα.	31.	ξα.	61.	σδ.	94.		juxta priorem se-
θ.	9	λβ.	32.	ξβ.	62.	&c.			riem. η, θ, ι, κ, λ,
ι.	10	λγ.	33.	ξγ.	63.	ρ.	100.		μ, ν, &c: Cum
κ.	11	λδ.	34.	ξδ.	64.	σ.	200.		adscriptâ virgulâ;
λ.	12	λε.	35.	&c.		τ.	300.		ut millenarium si-
μ.	13	λς.	36.	ο.	70.	υ.	400.		gnificent,
ν.	14	λζ.	37.	οα.	71.	φ.	500.		
ξ.	15	&c.		οβ.	72.	χ.	600.		
ο.	16	μ.	40.	ογ.	73.	ψ.	700.		
π.	17	μα.	41.	οδ.	74.	ω.	800.		
ρ.	18	μβ.	42.	οε.	75.	πι.	900.		
ς.	19	μγ.	43.	ος.	76.	α,	1000.		
ζ.	20	μδ.	44.	οζ.	77.	β,	2000.		
η.	21	με.	45.	&c.		γ,	3000.		
θ.	22	μς.	46.	π.	80.	δ,	4000.		
ι.	23	μζ.	47.	πα.	81.	ε,	5000.		
		&c.							

*Hebraei verò sic procedunt; hunc numerum Hebraei
cum, verbis tamen latinis, exarare nobis volupe est,
cum Typographus noster hoc stylo sit de-
stitutus,*

Aleph.	1	& sic procedendo,	
Beth.	2	Lamed.	30. Kuph, 100.
Gimel.	3	Lamed & Aleph.	31. Kuph & Aleph.
Daleth,	4	Lamed & Beth.	32. 101.
He.	5	Lamed & Gimel.	33. Resch. &c. 200.
Vau.	6	&c.	Schin. 300.
Zaijn.	7	Mem.	40. Tau. 400.
Cheth.	8	Mem & Aleph.	41. Daleth. 500.
Teth.	9	Mem & Beth.	42. Mem. 600.
Iod.	10.	&c.	Zaijn. 700.
Iod & Aleph.	11.	Nun,	50. Pe. finale, 800.
Iod & Beth.	12.	Nun & Aleph.	51. Zade 900.
Iod & Gimel.	13.	&c.	Quidam verò literis finalibus non utun- tur, sed ultimam lite- ram Tau cum ceteris coniungunt hos modo:
Iod & Daleth.	14.	Samech.	60.
Iod He ut judæi.	15.	Samech & Aleph.	61. Tau & Kuph 700. Tau & Resch. 600. Tau & Schin, 700. Tau & Tau 800. Tau & Tau & Kuph. 900.
Iod & Vau.	16.	Aijn.	70.
Iod & Zaijn.	17.	Aijn & Aleph.	71. Aleph & aleph, 1000. Aleph & Bet. 2000. &c.
Iod & Cheth.	18.	&c.	
Iod & Theth.	19.	Pe	80.
Caph.	20.	Pe & Aleph.	81.
Caph & Aleph.	21.	Pe & Beth,	82.
Caph & Beth,	22.	&c.	
Caph & Gimel,	23.	Zade.	90.
Caph & Daleth.	24.	Zade & Aleph.	91. $\mu\omicron\nu\theta\tau\omega\theta\epsilon\omega$ $\delta\acute{\omicron}\zeta\alpha.$
Caph & He.	25.	&c.	

5(0)50



*Eruditionis laude, ac morum suavitate atq; honestate,
Ornatissimo Juveni,*

Dn. DANIELIBERNHARDI
ROSANDRO, Smolando, de Theorematicis
Philosophicis, publicè, scitè & literatè
disputanti.

Gratior è pulchro ut veniens est corpore virtus,
*Sicq; DEO atq; homini gratior euge venis;
Quod sacrae Sophiae sapiens capiaris amore:
Indole quod lætâ sedulus usq; facis
Nomine ut es DANIEL, virtutis & omine fias
Sobrius atq; pius? Charta diserta docet.*

L. Mq; adposuit
Martinus Stodius Aboënsis S. S.
Theologiæ Professor; & S. R. M.
alumnorum p. t. Inspector.

Das Daniel meritò laudant te candide cuncti
Assidui multum, nam tractas seria multa;
Nunc etiam misces, quod rarum est utile dulci,
In proprio scripto rerum repleto bonarum.
En cunctis præstas munus gratumq; Minervæ.
Laudio conatum te summo amplector amore.

Ita fraterno animo Dn. Responden-
ti gratulabatur

*Andreas Jacobi Elmegreen
Smolandus.*

Quid

Quid valet argentum, viridis quid gema quid aurum,
Si Sophia atq; artes nullo inhonore manent?

Quam cum tu primis sis amplexatus ab annis,
DANIEL & Sophiae per studiosus eras;
Tramitibus certis pergens feliciter ito,
Atq; labore tuo praemia digna feres.

*Sympatriotæ ac fratri suo dilecto in veræ ac synceræ
amicitiæ testificationem faciebat*

Æschillus S. Fabricius Smol.

D et Deus ut subeas discursum, sed sapiente **R.**
A litonans rutilo Te collocet ipse Olymp **O**
N unc Philomusus eris Sophia, velut arte corusca **S.**
I n Domino benè sudasti: perpendito cunct **A.**
E ccè DEO grates tecum dicturus in orbe **N**
L audo hinc Te Daniel mi frater amice RosanDE R.

Hæc paucula in perennis fraternitatis
μνημόσυνον, patriotæ suavissimo;
ut & amico suo per necessario, gra-
tulabundus reliquit

Daniel Anxelius Smolandus.

Fistula dulce canat, tua temper docte *Rosander,*
Thetym tentasti ratibus ipse tuis:
Pollux & castor contendunt absq; Triumpho
Succumbunt Marti, palladis arte manes;
Fistula dulce canat, *γονέων, φίλων, ἀμα πάντων,*
Sit felix studium, gaudia magna fove.

Sinceri amoris ergò apposuit

*Magnus Bergeri Kieixelius
Smolandus.*

